



APPENDICE I

Statuta Civitatis Urbini, 1559, libro terzo: il decreto di Guidubaldo II del
1506 e i Capitoli del Collegio dei Dottori





T E R T I U S.

71

IN NOMINE Domini amen. Institutio Collegii doctorum Ciuitatis Urbini per Illustrissimum Guid. Vbaldum secundum Urbini Ducem.

NOS GUIDVS VBALDVS Urbini Dux: Durantis, Montis Fere- triq; Comes: ac sacrae & sanctae Ro. Ecclesiae Capitaneus Generalis, statuimus & hac praesenti lege & decreto decernimus ad nostrae Ciuitatis Urbini decus: & subditorum nostrorum comodum, laborum expensarumq; leuamen, quod fiat doctorum omnium Ciuitatis praefatae vnum collegium, & permaxime cum aliis ibidem fuisse comperimus. In quo fiat Decanus, siue Prior, ut infra in quarto Capitulo, ad quod tertiae causae cognoscenda & pariter terminanda renuntiantur, dummodo in praefato doctorum nostrorum collegio adfuerint praesentes non minus quinque qui habeant in causis coram eis, & eo deuolutis vel deuoluendis cognoscere & prout iuris fuerit decidere & terminare. Et quod nullus possit coram iudicibus quibuscunque in Ciuitate praedicta aduocare, nisi fuerit de numero doctorum collegii nostri praedicti. Et si contigerit conduci in aduocatum aliquem doctorem de dicto collegio absentem a dicta Ciuitate salarium sibi non taxetur nisi aliter quam per solam nominationem apparuerit, ipsum in causa aduocasse, & scripturas fecisse aut in scriptis vel voce allegasse.

ITEM statuimus & ordinamus, ac decernimus quod in omnibus causis, tam ciuilibus, quam criminalibus in quibus aliquis aduocatus extiterit conductus vel a parte seu partis Procuratore, Notarius actuarius teneatur & debeat eidem Aduocato notificare per cedulam suae manus scriptam infra quintam diem a die conductio- nis de eo factae videlicet per quem & inter quos. Et praedicta intelligantur in & de omnibus causis coram quibuscunque iudicibus verrentibus, tam ecclesiasticis, quam laicis, etiam coram arbitris, Volentes insuper, & mandantes quod nullus Notarius actuarius siue alius possit & valeat rogari de aliqua expensarum taxatio- ne nisi prius facta notificatione, per cedulam ut supra eiusdem causae aduocato de- petita expensarum taxatione, sub poena x. librarum de facto infligenda Notario per quem in aliquo praedictorum capitum fuerit contrafactum, & praedicta man- dantes extendi & habere locum a die publicationis, & etiam registri, & insinuari in volumine decretorum nostrorum ad perpetuam rei memoriam.

IN Nomine Domini amen, Anno Domini a Natiuitate eiusdem M.D.VI. In dictione nona, tempore sanctissimi in Christo Patris & Domini domini Iulii di- uina prouidentia Papae I. & die xxvi. mensis Aprilis publicatum fuit di- ctum decretum in Ciuitate Urbini in Palatio dominorum priorum & in consilio generali eiusdem ciuitatis per Ser Nicolaum Sanfonum Cancellarium dictae Ciui- tatis, & registratum in libro decretorum Illustrissimi D.N. Ducis ad cartas x. vii. prout patet manu dicti Ser Nicolai Cancellarii praedicti, & auctoritate praefati de- creti die Iouis xxx. & vltima dicti mensis eximii Doctores, tam decretorum, quam Ill. videlicet, Dominus Franciscus domini Io. Pauli de Corbulis, Ill. Doctor, Dominus Guido Ludouici de Siacolis decretorum Doctor, & Canonicus Urbinas,

L I B E R I

Dominus Fulgentius magistri Nicolai de Brancarinis decretorum Doctor, & Canonicus Vrbinas. Dominus Dionysius de Agatonibus. ll. Doctor. Dominus Petrus Matheus Io. Petri de Pinis V. l. Doc. Dominus Hieronymus Ser Srefani de Statis v. l. Doct. Dominus Hieronymus Fracisci de Vannis. ll. Doct. Dominus Ludouicus Seueri de Paltronibus. ll. Doctor. Dominus Angelus domini Federici de Gallis dec. Doct. & Canonicus Vrbini. Dominus Seuerus Ser Nicolai de Bonautis. ll. Doctor. Dominus Robertus Ser Francisci de Vrfellis. ll. Doc. Dominus Franciscus magistri Ioannis de Marcellis dec. Doc. Dominus Mar. Antonius magistri Ambrosii de Baroliis. ll. Doc. Collegialiter audita prius missa Spiritus Sancti solemniter cantata in Ecclesia Cathedrali congregauerunt se prima vice in Sacristia Cathedralis Ecclesie predictae, & ibi inuocato prius auxilio altissimi & omni potentis Redemptoris elegerunt per voces in priorem dicti Collegii dominum Franciscum de Corbulis praedictum pro tempore vnius anni incipiedi in Calendis mensis Maii praedicti anni, & feliciter finiedi vt sequitur.

IN N O M I N E domini amen. Capitula Constitutiones & ordinamenta Celeberrimi Collegii Vrbinateis facta & ordinata per Clarissimos praefati Collegii doctores collegialiter coadunatos, & communi omnium consensu, & per Illustrissimos Duces pro tempore existentes approbata & confirmata feliciter incipiunt.

IM P R I M I S statuerunt & ordinauerunt, quod secunda: causae appellationum quae de iure ordinario deuolutae fuerint ad generalem Vicarium appellationum Vrbini videlicet vbi ab ipso domino Vicario appellari contigerit ex forma constitutionum super appellationibus deuoluantur & deuolui debeant ad Collegium doctorum Ciuitatis Vrbini, & coram ipso causa ipsae introduci possint, prosequi & finiri ordinario iure, & recta via, & pariter deuoluantur, & deuolui debeant primae causae appellationum ciuiliu quotiescunque appellari contigerit, a sententiis latis & ferendis in prima instantia vel ab alio grauamine illato per dominum Locutentem Vrbini, nisi aliter visum fuerit Excellentissimo Duci nostro illas alteri committere, & eo casu omnis commissio per eum fienda intelligatur facta de ipsa causa in terminis in quibus reperitur, & si fuerit introducta vel aliter prosecuta coram dicto Collegio.

IT E M quod ipsum Collegium habeat & habere intelligatur facultatem, & iurisdictionem cognoscendi & decidendi omnes & singulas causas, tam primae, quam secundae instantiae ipsi commissas & delegatas, siue ex commissione principis siue ex partium conuentione &c.

IT E M quod in dicto Collegio sint & esse intelligantur omnes Doctores dictae Ciuitatis, & quod nullus de cetero recipiatur in dicto Collegio: & numero doctorum nisi habuerit insignia Doctoratus & studuerit per quinquennium ad minus in studio publico & approbato, & licentiam obrinuerit ab Illustrissimo & Excellentissimo Domino N. Duce, ac prius ante ingressum conclusiones publice disputandas propulerit, & super ipsis cuique arguere volenti responderit. Et facta sic diligenti

T E R T I V S.

72

genti examine tum admitti possit, si à maiori parte doctorum præsentium in Collegio pro idoneo fuerit approbatus, Hoc insuper addito quòd partituum approbationis fiendæ non possit poni quoquo pacto nisi prius fuerint per admittendum seruata seruanda, & si secus fieri contigerit admissus habeatur pro non admissio, nec habeat vel habere possit locum nec vocem in Collegio, sed id quod factum fuerit sit irritum & inane.

I T E M quòd de omnibus Doctoribus dicti Collegii, tam præsentibus, quàm futuris fiat vna Tabula, seu matricula, quæ stare debeat penes priorem, & in eâ per Notarios ipsius Collegii describi debeant omnes doctores præsentis & futuri per nomina prænomina, seu cognomina ipsorum de consensu & ordine domini Prioris Collegii, & cum descriptione anni mensis & diei in qua ipsi Doctores matriculantur. Et quilibet matriculandus: & recipiendus in Collegio tempore suæ receptionis præstare debeat solemne iuramentum de obseruandis omnibus & quibuscunque Statutis & constitutionibus dicti Collegii, tam factis, quàm fiendis.

I T E M statuerunt & ordinauerunt, quòd singulorum nomina Doctorum ipsius Collegii præsentium & futurorum describantur in breuib, quæ breuia ponantur in vna bussula penes Priorem durante tempore sui officii. Cuius quidem Prioris officium per semestre tantum durare debeat, & per dies octo ante finem sui officii ipse Prior teneatur in Collegio prædicto extrahi facere vnum breue ex dicta bussula, & ille cuius breue extractum fuerit sequentis semestri sit Prior, nisi fuerit absens à Ciuitate, & an de breui rediturus sit, stetur declarationi Collegii, & Prior suum officium exercere debeat donec extractus redierit. Vbi autem de proximo rediturus non esset, sic extractus eius breue reponatur in bussula & extrahatur alter habilis ad gerendum officium prædictum.

I T E M statuerunt, & ordinauerunt, quòd ipse Prior in Collegio sedere debeat in eminentiori loco: & alios antecedere, ad cuius officium spectet & pertineat vbi cunque & quotiescunque opus fuerit conuocare Collegium, & quilibet Doctor eiusdem Collegii iustam non habens excusationem eidem Priori obedire teneatur, tam in comparando ad Collegium, quàm etiam in cæteris quibuscunque actis Collegialibus, sub poena vnius libræ de facto Ducali cameræ applicanda.

I T E M statuerunt & ordinarunt quòd dictum Collegium ordinarie bis in hebdomada ad ius reddendum, & pro aliis ipsius Collegii negociis congregari debeat die videlicet Lunæ & Veneris, & ubi contingeret diem Lunæ fore feriatum. Tunc congregari debent in sequenti non feriata, & si dies Veneris fuerit feriata, tunc die Iouis præcedenti si iuridica erit, coadunari debeat aliàs die Sabbati subsequenti iuridica existente.

I T E M statuerunt & ordinauerunt quòd quælibet appellatio ipsi Collegio iure ordinario deuoluta seu delegata pro appellantium commoditate introduci possit coram Collegii prædicti, Priore, si ipsum adesse contigerit in Ciuitate, aliàs coram seniori doctore de Collegio extra iudicium diebus iuridicis, & etiam die non iuridica, dummodo feriata non fuerit, in honorem Dei, vel hominum vtilitatem, qua

LIBERT

die tantum per modum protestationis introduci possit: Ad quam introductionem pars appellata citari debeat, quā introductione facta dictus Prior, seu Senior eius loco facere teneatur inhibitionem & citationem in forma, & omnis introductio inhibitionis: & citatio præmissis modo facta valeat & teneat, ac si à toto Collegio facta foret. Et senior, seu antiquior de Collegio intelligatur secundum ordinem descriptionis factæ in matricula prædicta.

Item ordinaverunt & statuerunt, ut facilius sit modus agitando causas, quod Prior prædictus, si suspectus non fuerit, aliàs senior, qui pariter non sit, suspectus à principio causæ interroget partes, si quem doctorem de Collegio habent suspectum, & habita responsione, quæ interrogatio & responsio apud acta describi debeat, causam cuius cognitio & decisio pertinet ad Collegium, tam iure ordinario, quàm iure delegationis, & tam primæ instantiæ, quàm appellationis, vii ex doctoribus Collegii non suspecto committere debeat, & teneatur audiendam & terminandam usque ad sententiam inclusivè quam nullatenus ferre possit nisi de voluntate consensu & deliberatione totius Collegii, seu maioris partis eiusdem, & pro ea parte qua maior pars dicti Collegii senserit suam interlocutoriam, si talis esset, quæ ferri debet cum consensu & deliberatione prædictis, seu diffinitivam ferre teneatur, expresso tantum eius nomine, & cognomine, cum additione, quod eam sententiam proferret habito colloquio cum cæteris Doctoribus habilibus de Collegio, & de omnium ipsorum consensu & deliberatione etiam si daretur inter eos discrepantia, statuentes insuper quod si quando intermedio causarum peteretur fieri aliqua citatio in scriptis, quod huiusmodi citatio de mente & expresso nomine ipsius commissarii, seu delegati fiat, & facta eodem modo valeat, & teneat, & si contigerit, quod doctor, cui causa prædicta audienda, & terminanda commissa fuerit impeditus propter sua negotia, possit & valeat cum consensu & auctoritate Prioris non suspecti, seu senioris loco Prioris suspecti, & non aliter alium Doctorem de Collegio non suspectum loco sui subrogare, quæ subrogatio præmissis modo facta auctoritate præsentis Capituli valeat & teneat.

Item ordinaverunt & statuerunt, quod quilibet Doctor de Collegio, qui advocatus fuerit in causa, seu consilium præstiterit, vel aliquod aliud interesse in causa habeat, de quo sibi debeat iuramentum deferri, nullatenus vocem habeat in causa, quod quidem iuramentum ipse Prior subire debeat, & cæteris Doctoribus præstare, & ipso Priore existente suspecto, in ea causa in qua suspectus erit nullatenus se intromittat, sed senior Doctor de Collegio, qui pariter suspectus non sit, in eadem causa vice Prioris fungatur.

Item statuerunt, ut de cætero quicumque diceret, se in causa advocatum, vel consuluisse vel alias suspectum esse, ad hoc ut se ab onere iudicandi subtraheret, & convinceretur de mendacio per annum sit exclusus ab ipso Collegio: & participatione lucrorum, & eandem poenam incurrere voluerunt, qui diceret se non consuluisse, vel advocatum non fuisse, vel alias in causa interesse non habere, si de mendacio convinceretur.

Item

T E R T I V S.

73

ITEM statuerunt, quod quilibet Doctor, qui non esset iusto impedimento detentus, de quo impedimento, an sit iustum vel ne stetur declarationi Prioris, puniatur pro qualibet die iuridica in vno carleno domini Iulii Papæ secundi vulgariter nuncupato vni giulio, qua non comparuerit in Collegio ad ius reddendum cæteris Doctoribus applicando per ius accretendi, De quibus absentibus & diebus absentiae notarii Collegii teneantur tempore computum. Volentes insuper quod quicumque doctor non iuste impeditus, & domi requisitus ad interessendum disputationi causarum, & sententiae prolationi non interuenerit, non lucretur quicquam de sportulis etiam si disputationi interfuerit, dummodo fuerit absens tempore prolationis sententiae. Impediti autem iusto impedimento de quo stetur declarationi dicti Prioris ut supra, vna cum duobus senioribus de Collegio vel trium seniorum, ubi de absentia Prioris tractaretur, habeantur pro praesentibus, & lucrentur sicut cæteri praesentes, quæ quidem lucra eo ipso quod fuerint libere quasita Collegio, dictus Prior teneatur distribuere, secundum quod decet unicuique, quas sportulas voluerunt etiam aduocatos lucrari pro eorum rata licet vocem non habeant in prolatione sententiae. Teneantur etiam notarii praedicti in eorum libro describere omnem quantitatem sportularum, & in qua causa, & nomina interessentium prolationi sententiae pariter & aduocatorum, ut sciri possit, quibus distribuenda sint ipsae sportulae.

ITEM statuerunt, quod si aliquis Doctor de Collegio steterit tribus vicibus continuatis, quod non venerit ad Collegium horis publicae sessionis & audientiae causarum & non fuerit absens, vel iusto impedimento detentus ut supra intelligatur esse, & sit ipso iure suspensus, & amotus ab ipso Collegio per annum, & etiam ab officio, seu exercitio aduocationis in ciuitate Urbini coram quocunque tribunali, & si contrafecerit patrocinando in causis palam vel secrete incidat in poenam decem ducatorum auri de facto exigendorum & camerae Ducali applicandorum.

ITEM statuerunt, quod à principio deferratur corporale iuramentum unicuique de Collegio ac etiam notariis eiusdem quod de his quæ dicuntur ordinabuntur, ac fient in Collegio secreto circa agentia negotia ipsius Collegii, & causas coram eis pendentes, nihil alicui quoquo modo pandet, nec reuelabunt, sed secrete tenebunt continue, & perpetuo, sub poena perjurii & priuationis & amissionis à Collegio & ab officio.

ITEM statuerunt quod tempore sessionis, & audientiae causarum publice per dictum Collegium nullus ex doctoribus eiusdem audientiae aduocare vel procurare, seu exercitium aduocationis vel procurationis facere vel attentare pro aliquo quoquo modo possit, & si secus fieri contigerit talis sit contrafaciens vel attentans sit ipso facto suspensus per annum ab ipso Collegio & ab ingressu eiusdem.

ITEM ne lites efficiantur immortales attento eo quod tantum bis in hebdomada ius reddi debet in Collegio, statuerunt quod terminus datus ad introducendum appellationem sit idem qui praefixus est à constitutione, & ad iustificandum & impugnandum sit sex dierum utilium. Terminus autem ad opponendum processui sit trium dierum utilium, & terminus ad allegandum sit duorum dierum utilium, cæteris terminis à constitutione de appellationibus praefixis in suo robore remanentibus, &

T

LIBERT

quoniā vt plurimum ad protellandū lites producantur positiones, & per Iudices pronuntiat tempus non currere donec eis non fuerit responsum, & appellans vt plurimum negligens est, in curando, vt appellatus citetur statuerunt quōd porrectis positionibus pars citetur in termino saltem vnus diei à die productionis positionū iuxta tenorē Statuti de materia loquētis, & eo ipso quōd pars fuerit citata iuxta formā Statutorū & fuerit contumax in respondendo positionibus absque aliqua iudicis interlocutoria ipsæ positiones intelligantur haberi pro confessatis, seu negatis prout fuerit deterius ipsi contumaci.

In causis verō primæ instantiæ Collegio commissis, seu delegatis terminis Statutarii dimidentur. Et quoniam probationū materia non est angustanda statuerunt, vt quilibet volens inducere testes ad iuramenta possit & valeat infra terminū probatoriū sibi statutū corā ipso Doctore Cōmissario ipsos testes inducere etiā extra bancū existēte, & die qua ius nō redditur in Collegio, dūmodo nō sit aliās feriata in honorē Dei vel hominū vtilitatē, & pars aduersa ad talē iuramenti delationē pro certa die hora & loco, citata fuerit, & Iudex iuramentū deferre teneatur: & delatum intelligatur, reseruatis exceptionibus partis, tā cōtra dicta, seu attestations, quā contra personas testium, & huiusmodi iuramenti delatio valeat, & teneat, ac si die iuridico ipsius Collegii & in ipso Collegio facta foret. Et quōd omnis actus seu interlocutoria qui, seu quæ in medio litis seu causarū ab ipso Cōmissario fieri, seu ferri contigerit, valeat & teneat, ac si per totū collegium id factū foret, & si quando super aliqua interlocutoria fida dubitatio oriretur. Idem Cōmissarius habito colloquio cum ceteris doctoribus non suspectis secundum quod reperierit maiorem partē Collegii sentire, in eam partem inclinet interloquendo, & aliter facta non valeat.

I T E M statuerunt & ordinauerunt, quōd omnes dies feriati secundum formā Statutorum Ciuitatis Urbini sint & esse intelligantur in ipso collegio.

I T E M quoniā Statuto cauetur, quōd quilibet litigās valeat & possit in qualibet causa sapiētis consilium petere & teneatur id cōcedere, & secundū illud iudicare, nec videatur cedere honori ipsius Collegii, vt tot doctores insimul coadunati vnus tantū Doctoris sequi teneatur votū, & raro sit quōd totū collegium iuridice suspectum allegari possit, nec suspitione calūniæ caret, qui totū Collegiū suspectum dicit habere, statuerunt, & ordinauerunt, quōd nullus de cetero possit in quacunque causa corā ipso Collegio vertente consilium sapientis petere, & si petitum fuerit talis petitio nō teneat, & perinde procedatur in causa, ac si nullatenus consiliū ipsum petitū fuerit, & acta & sententia post petitionē consilii facta & lata omnino valeāt Statuto premisso nō obstante. Et quoniā nihil magis est periculosum, quā sub suspecto Iudice litigare, quod tristissimos solet parere euentus, statuerunt quōd vtrāq; pars, seu altera earū à principio seu post de nouo emerſerit aut de nouo ad notitiā peruenit causam suspitionis proponere possit contra eos Doctores, quos merito suspectos habebit, dūmodo totū Collegiū suspectū nō alleget, quo casu talis allegatio nullatenus, admittatur quā suspitionis causam pars proponēs infra dilationē à ceteris doctoribus de Collegio nō allegatis suspectis dādā probare teneatur, & pariter huiusmodi

T E R T I V S.

74

iustmodi causa suspicionis ab ipsis doctoribus terminari debeat, & si quo casu Doctores qui suspecti allegati fuerint, & ab aliis tanquam merito suspecti remoti fuerint, eorum nomina per Notarium causae describi debeant, qui teneatur vinculo iuramenti eo casu, quo se ingererent, & intromitterent in ea causa aliis condactoribus denunciare eorum remotionem, & quicquid per eos esset actum in causa non teneat, nec valeat. Valeant tamen ceteri Doctores, qui suspecti non fuerint etiam si numero fuerint pauciores quinque in ea causa in qua aliqui remoti fuerint ut suspecti omnia & singula agere, & facere, ac si esset totum Collegium perfectum. Habeant tamen ipsi Doctores suspecti & remoti commodum sportularum sicut ceteri, dummodo interuenerint in aliis causis.

* I T E M statuerunt & ordinauerunt quod ubi testes examinari debent in causis vertentibus coram dicto Collegio tale examen fieri debeat per Iudicem & Commissarium in causa vel alium de qua partes consenserint, dummodo sit de Collegio.

I T E M statuerunt & ordinauerunt quod quilibet procurator in causis coram Collegio vertentibus teneatur omnia acta praeter generalia exhibere in scriptis coram ipsis Iudicibus de Collegio.

I T E M statuerunt & ordinauerunt, quod à nulla interlocutoria fienda per dictum Collegium, seu per aliquem Commissarium eiusdem possit appellari, nisi in casibus à iure civili, & ex forma Statutorum permisis, & si contigerit per aliquem Commissarium Collegii interloqui absque voto aliorum, & ab eo contigerit appellari in causis praemissis, talis appellatio cognitio & decisio talis articuli intelligatur deuolui ad totum Collegium, & in tali causa à tali articulo Commissarius à quo fuerit appellatum vocem non habeat, nec se ingereret quoquo modo.

I T E M statuerunt & ordinauerunt, quod omnes causae coram dicto Collegio vertentes postquam fuerint in diffinitiuis positae & factae debita protestationes postquam acta fuerint actualiter praesentata debeant terminari infra terminos à statutis & constitutionibus praefixos dimidiatos ut supra in aliis Capitulis, & si contigerit causam seu causas praedictas infra tempora instantiae ipsarum non expediri, & id processerit culpa Commissarii non referentis causam Collegio, cum dubitationibus occurrentibus, pro habendo voto aliorum de Collegio, eo casu causa non deferatur, sed Commissarius ipse intelligatur incurrisse poenam decem librarum Camerae Ducali, cum remotione commodi sportularum, & nihilominus dictam causam referat Collegio, & deinde expediat cum voluntate & deliberatione ipsius Collegii, ut supra in alio capitulo Statutum extat, Si verò per ipsum Collegium steterit causa non deferatur, sed possit quandocunque expediri.

I T E M statuerunt & ordinauerunt, quod nullus Notarius se ingerere possit ad rogandum se de actis fiendis in dicto Collegio in quacunque causa nisi fuerit electus & approbatus ab ipso Collegio, seu à maiori parte ipsius.

I T E M statuerunt & ordinauerunt, quod si quando aliquem Notarium rogatum de causa abesse contigerit, quod alter notarius Collegii valeat & possit loco absentis rogari de actis ipsius causae de intento Prioris, seu tenioris de Collegio loco Prioris ut supra.

T 2

L I B E R

ITEM statuerunt & ordinauerunt quòd si aliquis ex notariis ipsius Collegii ab aliqua partium solo verbo allegaretur suspectus, tunc Prior si suspectus non erit seu alter senior de Collegio ipso Priore suspecto existente committat alteri notario ipsius Collegii non suspecto acta scribenda.

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd omnes & singuli Notarii ipsius Collegii describere debeant in eorum libris omnes dies iuridicos & feriatos, & de ipsis bonū & verū cōputū tenere, cum expresse causae ipsarū feriatū, sub poenauuius ducati applicandi pro dimidia cameræ ducali, & pro alia dimidia ipsi Collegio.

ITEM statuerunt, & ordinauerunt, quòd eo ipso quòd partes acta tradunt iudicibus pro expeditione causae deponere teneantur sportulas taxatas, alias acta non acceptantur, & tunc non intelligatur stare per Iudices quin causa expediatur sed per ipsas partes.

ITEM statuerunt, & ordinauerunt, quòd postquam, causa fuerit instructa, & auditis procuratoribus in facto proponentibus, si proponere voluerint, & aduocatis in iure allegare volentibus debeat ipse Commisarius coram quo causa ventilata fuerit in Collegio secreto, amotis aduocatis & procuratoribus in causa & suspectis si qui erunt, referre merita causae, & dubia quae emergūt in ea coram ceteris Doctoribus de Collegio, & quicquid ipse sentit in iure super tali causa, vt detur materia cogitandi & rectius iudicandi, seu notandi in ea, quibus expeditus Prior ipse moneat singulos de Collegio ad cogitandum super ea, & ad certam diem vt sibi videbitur ad votum reddendum super ea quibus peractis ad instantiam partis committatur citatio ad audiendum sententiam pro ea die prout ipsi Priori videbitur.

ITEM statuerunt & ordinauerunt, quòd tempore dandorum votorum pro expeditione causae, seu causarum in Collegio secreto, dentur ipsa vota secrete: & sigillatim per vnumquemque modo & forma prout melius videbitur domino Priori & ceteris de Collegio, dumodo omnis fraus: & machinatio cesset, adhibita prius discussione legitima super causa & meritis eius, & datis votis feratur sententia pro ea parte, pro qua omnes, seu maior pars senserit in notando, vbi autem in causa plura essent capita, tunc vnumquodq; caput proponatur in dicto collegio, & super eo dentur vota, modo praedicto seorsum vnum ab altero, & similis modus & ordo seruetur in condemnatione, seu absolutione ab expensis, vbi verò dubitaretur, an sententia contineret vnum vel plura capita, stetur declarationi ipsius prioris, seu senioris de Collegio vt supra. Et quia saepe posset euenire quòd in qualibet sententia ferenda daretur paritas votorum statuerūt, & ordinauerunt, quòd Notarius causae talem votorū paritatem describere teneatur in suo libro, & nihilominus Prior seu senior de Collegio vt supra prolationem sententiae in sequentem collegialem diem ordinariam, seu extraordinariam pro suo arbitrio indicendam differat, quae die ipsa causa iterum proponatur coram Collegio pro sententia ferenda, modis & formis quibus supra, & si iterum daretur paritas votorum tunc quisque de Collegio deprecetur Deum omnipotentem, vt eorum intellectum illuminet, & erroris tenebras ab eis remouere dignetur, & Deus eorum illuminabit intellectum,

¶ & tertio

T E R T I V S.

75

& tertio altera collegiali die dicta causa modis quibus supra proponatur. Addentes autem quod nulla sententia interlocutoria siue diffinitiva teneat : & mereatur nomen habere sententiæ data paritate votorum contrariorum . Et si facit tertio data paritas votorum recurratur ad Principem.

I T E M statuerunt & ordinauerunt, quod ubicunque ab aliqua sententia ipsius Collegii interlocutoria siue diffinitiva appellari cõtingerit, talis appellatio interponi possit & debeat coram ipso iudice commissario indicatè personaliter reperito aliàs eius domi requisita sua præsentia , & omnis interpositio & appellationis delatio præmissis modo facta valeat & teneat, ac si coram toto Collegio interposita foret .

I T E M statuerunt & ordinauerunt quod causæ spirituales regulentur & regulari debeant & tractari secundum formam constitutionum provinciarum Marchiarum , & indulta Pontificis ipsi collegio concessa.

I T E M statuerunt & ordinauerunt, ut ipsum Collegium pacificum & vnitum conferuetur, & eius acta gerenda cum urbanitate & modestia fiant, quod nullus, tam de Collegio quàm extra audeat vel præsumat, alicui Doctori de Collegio publice, seu secreta collegialiter congregato aliquam iniuriam verbo seu facto inferre . Et si quis contrafecerit ultra pœnas in Statuto Ciuitatis Urbini contentas ipso facto, incurrille intelligatur pœnam decem librarum de facto à contrafaciente auferendarum & applicandarum pro dimidia Camera Ducali & pro altera dimidia Collegio prædicto.

N o s Guid. Vbaldus Urbini Dux, Montis Feretri, ac Durantis Comes, Sanctæq; Ro. Ecclesiæ Capitaneus Generalis, Habita relatione in Collegio Doctorum & tabellionum nostræ Ciuitatis Urbini nullo discrepante fore obtentum, Sancimus quod omnium Doctorum, ac Notariorum dictæ Ciuitatis nomina describantur in breuibus separatis . Eaq; imbuantur in duobus bussulis, quorum vnus sit & esse intelligatur bussulus notariorum ad tribunal Vicarii appellationum, alter verò notariorum Tribunalis nostri Collegii Doctorum, qui quidem bussuli retineri debeant in capsa communis, & inter alias bussulas . Et tempore quo in generali consilio dictæ Ciuitatis alii notarii extrahuntur, & officiales dicti communis de singulo bussulo prædicto, extrahi debeant quattuor breuia eo modo & forma & prærogatiuis quibus alii officiales extrahuntur, quorum officium & exercitium ad ipsa tribunalia duret & durare debeat quattuor mensibus immediate sequentibus, & quod nullus alius præterquam sic extracti valeant se intrinicare in scribendo, acta ad ipsa tribunalia, vel etiam in concernentibus iurisdictiones ipsorum Vicarii, & Collegii . Et si secus attentatum fuerit, acta non valeant, & nullam firmitatem obtineant.

I T E M quoniã posset aliquãdo cõtingere quod ex bussulis præmissis extraheretur breue alicuius Doctoris seu alterius, quod nollet seu nequiret se exercere ad dicta tribunalia & officia. Statuimus & ordinamus, quod omnis ille, cuius breue fuerit extractum, & noluerit seu non potuerit dictum officium exercere valeat & possit auctoritate præsentis sanctionis alium loco sui ad dictum officium substinere,

L I B E R I

& per inde habeatur ac si principaliter fuerit extractus, de qua tamen substitutione constare debeat manu vnius ex Notariis Collegii, & seruata forma infra in presenti sanctione annotata. Et quoniam in Notario permaxime requiratur literarum peritia. Statuimus quod nullus ut praemittitur ex dictis bullis extractis, seu ab illis subrogatus valeat se exercere ad officium praedictum nisi prius per ipsum Collegium seu maiorem partem eiusdem pro idoneo & sufficienti approbatus extiterit, de cuius approbatione omnino constare debeat manu vnius ex dictis Notariis Collegii, qua forma non seruata acta quaecunque sint nulla.

I T E M statuimus, quod omnes & singuli Doctores & Notarii Collegii & Matriculae dictae Ciuitatis pro habendis bullis à Sanctissimo D. N. Iulio Papa secundo indulti concessi eidem Collegio debeant soluisse eam quantitatem, quae eis imposita fuerit per quattuor deputatos ab ipsis de Collegio, quos ex certa scientia confirmamus, & iuxta tempus per eos eis statuendum sub poena priuationis per decennium omnium officiorum dicti communis, & annulationis omnium actuum in dictis officiis per sic non soluentes, seu substitutos ab eis.

I T E M quia nobis relatum est, multos recusasse soluere pro ipsis bullis, & posset evenire ut aliquis ex familia seu descendens ex his qui nil soluerunt admitterentur ad ipsa collegia doctorum seu notariorum & non conuenit, ut quis ad mensam accedat paratam, Statuimus ut quicumque de cetero admissus fuerit in dictis Collegiis praerogativa praemissorum officiorum gaudere non possit, nisi prius Priori Collegii Doctorum soluerit tantundem, quantum ad praesens soluit vnus ex aliis, quod expendi debeat in honorem ipsius Collegii praeterquam si fuerit de familia, aut descendens alicuius eorum, qui ad praesens soluit, quorum nomina ad perpetuam memoriam describi debeant per Cancellarium communi in libro decretorum.

I T E M quia in nostris decretis dictae Ciuitatis cauetur quod nullus admittatur ad dictam Matriculam Notariorum, nisi prius approbatus fuerit à capitulo & consiliariis, & frustra sunt per plura quae fieri possunt per pauciora, Statuimus quod de cetero nullus ex dicta Ciuitate, seu comitatu ad nos valeat accedere & supplicare, ut à nobis creetur tabellio, nisi fuerit prius examinatus & approbatus per ipsum Collegium Doctorum, seu ipsius maiorem partem, de cuius approbatione constare debeat apud acta ipsius Collegii, & nobis fiat fides per cedulam ipsius Collegii, manu vnius ex eiusdem Notariis subscriptam per Priorem ipsius Collegii, seu seniores doctorem in absentia Prioris, & omnis Notarius, aliter creatus careat auctoritate tabellionatus.

I T E M, quia scriptum est, qui altari seruit de altari viuere debet, statuimus quod quicumque de cetero fuerit extractus ad officia tabellionum, & non se exercuerit, seu se non exerceat in arte notariae nullatenus valeat se exercere in dictis officiis, & eorum praerogativa potiri non possit.

I T E M ad obuiandum fraudibus, quae excogitari & committi possent, statuimus & ordinamus, quod omnes & singuli Notarii in futurum deputandi ad dicta Tribunalia, & ad Tribunal Potestatis dictae Ciuitatis in initio eorum officii teneantur

T E R T I V S.

76

neantur & debeant conficere vnum librum pro quolibet bene ligatum, & cartatū & stampatum in quo describere teneantur omnia acta & sententias, quæ sine scriptis proferuntur, de quibus erunt rogati videlicet seriatim vnum actum post aliū, ita quod inter dicta acta in dicto libro nullum dimittatur spatium, adeo quod in nullo actu possit aliquid addi vel mutari in præiudicium veritatis. Et in scripturis, quæ producuntur actualiter tantummodo sufficiat apponere diem exhibitionis videlicet dicendo exhibita potest in libro ad cartas. Apparet in dicto libro, tam exhibitio, quam partis cōtradictio cum repetitione diei describi debeat sub pœna decem librarum, & annullationis actorum, & teneantur dicti notarii reficere omnia damna & interesse parti læsæ occasione nullitatis dictorum actorum.

I T E M quia in nostro Collegio Doctorum sancitum est, vt tempore exhibitionis actorum pro expeditione causarum deponi debeant sportulæ pro ipsis iudiciis ab vtraque parte, & multoties euenit sicut docuit experientia, vt plurimum vna ex dictis partibus, vel ad onerandū alterā partem ipsarum sportularum solutione, & ad subter fugiendum, vt indicia ipsa æqua lance procedant. Statuimus & ordinamus, quod eo ipso, quod infra terminum ab ipsis iudicibus ad deponendum sportulas Statutum, vna ipsarum partium fuerit contumax & noluerit deponere pro eius parte secundum quod fuerit taxatum. Tunc altera pars, quæ causæ expeditionē petierit omnes sportulas deponat, & ipso facto altera pars contumax in deponendo intelligatur condemnata alteri parte in omnibus & singulis sportulis absq; alia pronuncia, etiam si contingeret quod talis contumax in deponendo sportulas obtinuerit in causa, & aduersarius fuerit sibi condemnatus in expensis, quod prætextu talis condemnationis nullatenus valeat se excusare, à solutione dictarū sportularū.

I V L I V S Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam, Ad sanctam Petri sedem diuina dispositione sublimatus, singulis quæ pro personarum nobis & apostolicæ sedis deuotarum pace commodo & tranquillitate profuturi fore conspicimus apostolicæ prouidentia sollicitudinis libenter intendimus, & ad felicem eorum prosecutionem & confirmationem cum à nobis petitur, opem & operam impendimus efficaces, sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Nobilis viri Guid. Vbaldi Ducis Vrbinate & vniuersorum subditorum eius petitiō continebat, quod licet olim felicis recordationis Alexander Papa v. i. præcessor noster Cupiens indemnitati vniuersorum subditorum Ducatus Vrbinate consulere, ipsum Ducatum Vrbinate, & Ciuitatem Senogallen. illiusq; districtum ab omni iurisdictione Rectoris prouinciæ Marchiæ Anconitanæ segregauerit, & separauerit, ac certum Collegium Doctorum rotam nuncupatum in Romandiola instituerit. Ad quos omnes causæ appellationum in quibuscunque causis Ecclesiasticis & prophanis deuoluerentur ordinauerit, & quod propter temporum conditiones huiusmodi institutio effectum sortita non fuerit. Nihilominus idem Dux etiam cupiens indemnitatibus & commoditatibus dictorum subditorum suorum providere in Ciuitate Urbini vnum Collegium tredecim Doctorum in-

L I B E R

stituit, & quod coram eis omnes & singulae causae ecclesiasticae & prophanæ tractarentur & diffinirentur etiam ordinavit &c. Quare pro parte Ducis & subditorum huiusmodi, necnon etiam dilecti Filii Nobilis viri Francisci Mariae urbis praefati nobis fuit humiliter supplicatum, ut institutioni & ordinationi Collegii tredecim in legibus, & decretis Doctorum huiusmodi apostolicae confirmationis robur adicere, aliasque in praemissis oportune providere de benignitate apostolica dignemur. Nos qui nostrorum & sanctae Ro. Ecclesiae subditorum commoditatibus intendimus, & quantum cum Deo possumus ipsos ab expensis & oneribus releuamus. Necnon praefati Ducis propositum plurimum in domino commendamus, institutionem, & ordinationem praedictas auctoritate apostolica tenore praesentium, confirmamus & approbamus, ac quod in secunda & tertia instantis omnes causae, tam Ecclesiasticae, quam prophanæ & mixtae beneficialibus meritis Ecclesiasticis, duntaxat exceptis ducatus & domini temporalis praefati nunc & tempore existentis Ducis & subditorum suorum huiusmodi, nunc & pro tempore existentium tam ratione Ducatus praefati, quam aliorum eius dominiorum quorumcunque coram dicto Collegio tredecim Doctorum eisdem modo & forma quibus coram rectore, seu spiritali provinciae Marchiae huiusmodi tractantur, tractentur & finiantur. Ita tamen quod causae praedictae non possint expediri nec terminari nisi de voto, & consensu maioris partis Doctorum dicti Collegii, & alias sententiae latae non teneant, quae vota secrete & sigillatim praestari debeant. quandoque etiam si contingeret aliquem seu aliquos ex doctoribus dicti Collegii exinde se absentare, quod per tunc praesentes factum & determinatum fuerit perinde valeat ac si omnes interfuissent dummodo absentes ultra dimidiam partem non existant, ac etiam quod causae appellationum quarumcunque per subditos praefati Ducis à quibuscunque sententiis pro tempore interpositarum ad ipsum Collegium interpositae sint, & esse censeantur nisi forsan à sententiis ipsius Collegii appellatum fuerit, quo casu tunc ad sedem apostolicam appellari valeat eadem auctoritate statuimus & ordinamus ipsosque subditos, nec non Ducatum, & statum Urbinate, ac etiam statum & Civitatem Senogallensium ab omni iurisdictione & superioritate rectoris dictae provinciae Marchiae, necnon Bononiensis, & Perusinae legationibus prorsus eximimus & segregamus ac liberamus. Et insuper eidem Collegio, ut in causis eiusmodi decidendis & finiendis eisdem praerogatiuis indultis & ordinationibus utatur, potioratur, & gaudeat, quibus dictus rector praefatae provinciae utitur & vii consuevit praefata auctoritate concedimus, Statuta quoque & ordinationes per dictum Collegium in causis decidendis & terminandis adita dummodo sint licita & honesta & sacris canonibus non obuiantia, dicta auctoritate confirmamus, & approbamus, ipsique Collegio nova statuta, quatenus sint licita & honesta condendi eadem auctoritate licentiam elargimur, & facultatem, Non obstantibus apostolicis, necnon dictae provinciae specialibus & generalibus constitutionibus & ordinationibus, etiam si de illis quoque totis tenoribus pro illarum sufficienti derogatione specialis specifica & expressa & indiuidua non autem per clausulas generales idem importantes, sed de

verbo

T E R T I V S:

77

verbo ad verbum mentio seu quævis alia expressio habenda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, quodque Collegium huiusmodi nondum ad numerum tredecim Doctorum deventum est cæterisq; contrariis quibuscunque, Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis approbationis Statuti, ordinationis, exemptionis segregationis, liberationis, concessione, elargitionis, & derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se noverint incursum. Datum Romæ, apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicæ Millesimo quingentesimo septimo, duodecimo kal. Martii pontificatus nostri anno quinto. Mar. Gra-
tis de mandato Sanctissimi D. N. Papæ.

N. Andavert. Iul. Marascha pro magistris

C. Barorius. F. Parma grat

A. de Pace. M. Veccia

M. Cuccinus. G. Bertanud

Ni. Lomelinus

A. tergo sunt scripta P. Tanelli

hoc modo videlicet, Alouisius

Theranio fortis A. Melendem

Iul. Marascha pro Magistris V. S. de Castello

Ra. Collorius.

ILLVSTRISSIMVS & Excellentissimus Dominus noster Dux Urbini vult & mandat inuolabiliter obseruari, de cætero sub onere conscientie, & nullitatis approbationis, nullum admitti in Collegio Doctorum ad examen pro receptione ad tabellionatum nisi is, qui ad huiusmodi officium recipi flagitat à S. Excellentia habuerit dimissorium bulletinum, Aetatisq; fuerit annorum decem & octo, literis sufficienter imbutus, pariterq; sciat, quod partes continere debeat testamentum aliaq; quæcunque vltima voluntas, & alia instrumenta publica. Iubens ad rei perpetuæ memoriam præfens decretum & sanctionem registrari apud capitula ipsius Collegii. Datum Urbini cal. Ianuarii M. D. XLIIII. E. A.

Loco Sigilli. Antonius.

IN Nomine Domini amen. Hæc est matricula Doctorum Collegii vtriusque iuris Ciuitatis Urbini, in qua vigore suprascriptorum capitulorum concessorum per Illustrissimū D. nostrū dominū Guid. Vbaldum Ducem Urbini describi debet omnes Doctores, tã præsentēs, quàm futuri in dicto Collegio, facta sub annis D. N. Iesu Christi ab eius nauitate M. D. VII. Indictione X. Tempore Sanctissimi

V

L I B E R

in Christo patris & domini domini Iulii diuina prouidentia Papa i. r. & die xii. mensis Octobris, & tempore Exinii ll. Doctoris domini Seuerii de Bonauitis Prioris dicti Collegii videlicet.

Dominus Franciscus Io. Pauli de Corbulis ll. doc. Die xxii. mensis Octob. pradi

Dominus Guido de Stacolis decret. doc. Canonic. Vrbinas. Et anni 1507.

Dominus Fulgencius de Brancarinis dec. doc. Canonic. Vrbinas. Matriculari fue

Dominus Dionysius de Agatonibus ll. doc. & miles deauratus. runt prout tunc

Dominus Petrus Mattheus Io. Petri de Pinis V. I. doc. temporis erant

Dominus Hieronymus de Stativ V. I. doc. Miles & Comes. de Collegio pradi

Dominus Hieronymus Francisci de Vannis ll. doc. dicto, & de com

Dominus Ludouicus Seuerii de Paltronibus V. I. doc. missione & mād

Dominus Angelus Federici de Gallis V. I. doc. & Can. Vrbinas dato domini Se

Dominus Seuerus ser Nicolai de Bonauitis ll. doc. ueri prafati Pri

Dominus Robertus ser Francisci de Vrfellis ll. doc. oris, & totius di

Dominus Franciscus magistri Ioannis de Marsellis dec. doc. Et Collegii per

Dominus Mar. Antonius magistri Ambrosii de Barotii ll. doc. me Laurétium

Dominus Bernardinus Theophilus Francis de Spa

Dominus Guido Iuneus liolis Notarii di

Dominus Andreas Fulcaris Et Collegii su

Dominus Federicus Puteus prafcripti

Dominus Guido de Maschis

Dominus Ioannes Claudius

Dominus Iulius Spinellus

Dominus Octavianus Spatiolus

Dominus Federicus Iuneus

Dominus Baptista Sanctutius

Dominus Guido Petrucius

Dominus Iacobus Angelus

Dominus Honofrius Bartholinus

Dominus Alexander Marfilius

Dominus Marinus Gabriel

Dominus Baptista Grillottus

Dominus Federicus Grillottus

Dominus Cathelanus Malatesta

Dominus Baldus Biachinus

Dominus Prosper Bicillus

Dominus Paulus Antonius Puccius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius

Dominus Thomas Georgius